Rupertus abbas ad Cunonem abbatem Sygbergensem.

Quid rationis, quid utilitatis, quid habeat gratie et virtutis, quod mo-
nachi alium quam invenerunt colorem quesierunt in vestibus? Nam
erat ut nunc est in cenobiis niger color vestium usitatus utriusque sex-
us, scilicet et monachis et monialibus. Ipsi autem sub albo dubioque et in-
certo colore uti ceperunt. Cuius rei causas ignoramus. Forsitan si nos
albidis vestibus usi fuissemus, ipsi nunc nigris uterentur. Et vera dis-
similitudo tunc excusabilior esset, quia videlicet omnium colorum niger
color obscurissimus est, albus autem candidissimus, et horum contrariorum ceteri
colores medii sunt. Istum cuius usum nos invenimus et tenemus utriusque sexus
monachice professionis, scilicet nigrum colorem maxime fugiunt.
Quod ad quid valeat ignoramus, nisi quia nonnichil istud spectaculum lesam
significat illam unitatem de qua canitur in psalmo: Deus qui inhabitare
facit unius moris in domo. Quod quia ita est, nobis ex hoc quantula-
cumque sit consolatio, quia non nos ab ipsis, sed ipsi a nobis ausi sunt et
exierunt hoc modo. Ratio cur beatus Benedictus de vestimentis que propter
frigus habemus de ovinis pellibus nullam fecit mentionem in regula.
Rupertus. Videlicet quia de illis dictaverat vestibus sine quibus non perficitur
certius habitus monachi, ad se pertinere iudicavit. Cetera in conside-
ratione abbatis dereliquit, sicut patet in eo loco recte ubi dicit:
Sufficit monacho duas tunicas et duas cucullas habere propter
noctes et propter lavare ipsas res. Iam quod supra fuerit superfluum est
et amputari debet. At ille non in omnibus locis, sed in mediocribus ista
sufficere credidit. Sic enim incepit: Vestimenta fratribus secundum locorum
qualitatem ubi habitant vel aerum temperiem dentur, quia in frigidis re-
gionibus amplius indigetur, in calidis vero minus. Hec ergo consideratio
penes abbatem est.

Liber bibliothece Sygebergensis

Landes- und Stadt-Bibliothek Düsseldorf

B. 134

1311